

DE ANTIDOTIS. 39 3  
 DE EEMPLASTRIS,  
 SECTIO DVO-  
 DECIMA.



Εμπλάστον φάρμακον ἀπὸ τοῦ ἐμπλάττειν, Li. i. c. ph. g.  
 id est, fingendo & formando: & literam  
 ex etymo non habet: & tamen assumpto  
 etiā ἔμπλαστος, ὡς κέντριον ἀκεντῆρι μη-  
 λωτῆρι ἀμίλην et οὗς ὠτὸς dicitur Gal. et Paul. 7.

Sua tempestatis hominibus propè omni-  
 bus usum praevalentem & consuetudinē sequentibus, cum  
 iam tū & lingua Attica permultum à proprietate sua de-  
 sciuisse. Medicamenta emplastris debita, sunt terrestria:  
 10 ut metallica, lapides terrae species, flores, cinis, concha. Plan-  
 tarum partes, ut oleamēta, lachryma, succi, liquores. Semi-  
 na verò & herbarū folia, & radices paucas recipiunt: ta-  
 men empl. ex lini semine, et ab herbis βοτάνικόν et farinas  
 satis frequētes: Coquantur empl. quousq; manus nō amplius  
 inquinent. Empla. & metallica, ut lithargyrū cerusam re- Idem.  
 cipiunt. Prius hæc oleo & aceto, succo, aqua, vel alio liquore  
 adscripto sine igni nutriantur, & crasse scāt in mortario, vel  
 sartagine fundo, spherico, spatha, vel pistillo continēter mo-  
 20 do vel in lebetē super ignē lentū spatula semper mota, ne va-  
 sis fundo metallica hereāt, probè ad iustā usq; crassitiē me-  
 tallicis ita nutritis misceantur. Quòd si gūmis quoq; opus est,  
 liquabilia liquentur, solubilia solvantur, pulverabilia pulve-  
 retur, ut suis locis patebit: & postrema decoquendis alijs mi-  
 sceantur spatha semper mota postremò etiā ponantur et flores,  
 herbae radices. Flos croci manu emplastro misceatur migda-  
 lias & offas formantibus. Sunt tamen quaedam metallica,  
 & terrea lapideaque in fine miscenda, ut aes vstum, cin-



nabriū vulgare, arugo, flos, aris, squamma aris, sulfur auri pigmentū, magnes bolus Armenia, terra sigillata. Coquantur autē omne emplastrum ad aceti, vini, aqua succorum, vel aliorum liquorum consumptionem. Succu crassi & siccati aliquo liquore soluti imponantur postremi, cum scilicet emplastrum frigere incipit. Succu autem virides in emplastra de Ianua temperentur oleo: deinde gummi liquatis ambo misceantur & coque igni. Herba virides in emplaastro gratia Dei & alio macerentur vino. Gummi liquata eodem vino coquantur ad vini consumptionem.<sup>10</sup> Emplastra molliuisse, & subegisse licet cum pul. vel liquoribus: vt oleo apostolicon, ceroneum, oxycrocium, diuinum, contra rupturam, & diachylon: vt succis, empl. de Ianua: vt lacte: empl. gratia Dei. Sanguis humanus & viscum quernum in empla. contra rupturam misceantur pistillo calido, & coquatur viscum in decocto pellis veruecinæ recenti non depilatæ, nec calce coditæ.

**Diachylon**  
album & commune.  
**Lithargyros**  
si lauetur, albius emplastrum fiet.  
**Oleum itē**  
ablutione  
albescit.  
**† Ex lapide**  
durissi. vel  
aereo mortario.

**E**Mp. diachylon, scirrhus hepatis, lienis, ventriculi, & aliarum partium, ipsas etiam chæradas & durties reliquas emollit, & iuuat. Recipit muccaginis, sem. fœnigræci, sem. lithargyros ni, rad. althææ ana lib. vnam: lithargyri plumbo & scoria puri, rad. tenuissimè triti, lib. vnam & dim. ol. antiqui clari libras tres. Lithargyrum & oleum diu & multum in mortario† lapideo pistillo ferreo subigantur & misceantur: post igni lento coq; spathâ semper agitando, donec liquetur lithargyrum & crassescat. Exime igni, paulatim frigescat: postea his succos per se parum coctos affunde, permisce & recoque igni ad iustam crassitiem. Valentius resoluit & maturat, si addatur puluis ireos: magis item anodynnon, si muccago meliloti præsertim ferreus accesserit. Præstantius quoque fiet, si loco olei communitis irinum & chamæmelinum acceperit.<sup>20</sup>  
<sup>30</sup>

*Id emplastr. vsu est frequentissimum: pul. ireos vncia vna in lib. vnam. massæ emplastri addi potest, vulgoq; id diachylon ireatum vocatur. Xrdò s hoc loco cū Gal. est succus is, quem*



is, quem à mucchi narium aut visci similitudine muccaginē aut viscaginem vocare possis potius, quam cum vulgo muc-  
cilaginem: & nos ita vocabimus fuga ambiguitatis, cum  
succus nobis ut  $\chi\upsilon\delta\omicron\varsigma$  Galeno etiam sit, qui ex tuis herbis  
exprimitur, quo significato nobis post accipietur. Scirrhos al-  
bos & nigros mollit ac digerit, reliquias farunculi duras  
dissipat, vlcera etiam duritie coniuncta glutinat.

Muccagines in emplastro diachylo hodie non coquantur.  
Est id emplastrum Auicennae propè ad verbum. Descri-  
bitur & à Galeno secundum Democritum. Alterum est  
10  $\delta\iota\alpha\ \chi\upsilon\delta\omicron\varsigma$  Pauli ex lithargyri lib. 6. olei aestate lib. 7.  
hyeme. 8. seminis fœnigræci sextario dimidio, seminis al-  
thæa lib. tribus: hæc duo in aquæ sextarijs viginti bulliant,  
donec lib. quatuor remaneant: adde oleum, & coque donec  
ampulla cessent, insperge lithargyrum, & coque igni lento.

Emplastrum diachylon magnum, scirrhos emollit & di-  
gerit, & inflationes. Recipit lithargyri putris, triti, cre-  
ti, libram vnam: olei irini, chamæmelini, anethini, ana vncias  
ocho: muccaginis ficuum pinguium, vuarū passarum, ichthyo-  
collæ, seminum lini, & fœnigræci, succorum ireos & scillæ,  
20 celsy, ana drach. duodecim & semissem: terebinthinæ vnc.  
tres: resinæ pini & ceræ flauæ ana vncias duas: misce vt prius,  
donec crassescat.

His si accesserit bdellij, sagapeni, hammoniæ ana vncia  
vna, diachylon gummatum vulgus appellat. Aliquando  
est in vsu, frequentius tamē eius loco emplastrum de muc-  
caginibus, ex muccaginis seminum althæa, lini, fœnigræ-  
ci, corticis medij  $\upsilon\lambda\mu$ , ana vnc. quatuor & dimid. olei cha-  
mæmelini, lily, anethini, ana vnc. vna & semiss. hammo-  
niæ, galbani, opopanacis, sagapeni, ana vnc. dimidia: croci  
30 drac. duabus: terebinthinæ vnc. duabus: ceræ nouæ vnc. vi-  
ginti. fiat emplastrum. Paulus ab hoc, simplicibus & eo-  
rum quantitate ac modo componendi plurimū variat: nam  
mis



miscet lithargyri lib. sex: [Oribasius duas] olei, si aestas est, lib. septem: si hyems, lib. nouem: fœnigræci, lini seminis ana  
 Manard. al. semisextarium: [Oribasius sextarium] althææ, [Oribasius  
 thææ semi- althææ radicis] libras tres: althæa & semina in† viginti  
 ni legit. aquæ sextarijs coquantur, quousque inde mucaginis libra  
 † Gal. in sex quatuor exprimantur, & miscentur oleo, simulq̄, coquun-  
 tarys aquæ tur, dum bullire, & ampullas tollere desierit, id est, ad muc-  
 octo. caginis consumptionem. Post hæc argenti spuma tenuissimè  
 trita inspergitur, omniaq̄, simul igne non acri excoquantur,  
 usque dum digitos intinctos non inquinet. *Διὰ χυλῶν Gale-* 10  
*nus ex Democrito scribit & ex Menecrate, ex lithargyri*  
*libris duabus: axungia antiquæ lib. quatuor: olei antiqui,*  
*lib. quindecim. Addit aliquando lib. vnam radicis althææ.*  
*Ab vtroque simplicibus & eorum quâtitate variat Ale-*  
*xander, componendi modo cum Paulo consentit. Lithargyri*  
*triti lib. quatuor olei cõmunis lib. septem: cera lib. vna: re-*  
*sinæ piceæ vnc. sex: mucaginis, seminis psyllij libra tres:*  
*quam sic extrahes, in aqua fontis sextarios sex immitte:*  
*psyllij triti vnc. tres, macera viginti quatuor horis, postri-*  
*die igni lento coque ad crassitudinem, calidissimâ cola (nam* 10  
*mox à frigore concrescit ac durescit) eius libras tres immitte*  
*cacabo, calfac, rursus cola: lithargyrum tenuissimè tritum*  
*misce, continenter moue: igni lento percoque, donec digitos*  
*adhesu non inquiet: sublato ab igne cacabo ceram, & resi-*  
*nam injcies, & vbi digitos non contaminabit, tunc pilæ in-*  
*fundito, rudicula mollito. Sed in componēdi modo olei men-*  
*tio non fit.*

**E**Mplastrum *Διὰ χυλῶν* paruum, tumores calidos digerit  
 & maturat: recipit lithargyri vncias sex: olei veteris clari  
 libram vnam: mucaginis psyllij vnc. quatuor: mucaginis se- 30  
 mi. hyoscyami fescunciam: mucaginis sem. lini & rad. maluæ  
 ana vncias duas. Fiat vt primum. Est frequentissimum vsu, &  
 efficacissimum ad mulcendam intemperiem calidâ, quod per  
 se



se psyllium & hyoscyamus præstant: & siccandum digerendumq; quod cætera simplicia præstant.

**E**Mplastrum de baccis lauri, ventriculi, intestinorum, hepatis, renum, vesicæ, vteri, & partium aliarum dolorem à flatibus aut intemperie frigida ortū placat. Recipit autē thuris, mastiches, myrrhæ ana vnciam vnam: baccarum lauri vnc. duas, cyperi, costi, ana vnciam dimidiam: mellis colati quantū ad ea cōprehēda sufficit. Si autem cyperi sescunciam miscas, & sterco capræ aut vaccæ ficcum ad pondus omniū, ad  
10 hydropem fit mirabile.

*In colico dolore à flatu & pituita salubriter calidū ventri imponitur vacuata plenitudine, & chystere quoque injicitur vncia vna ad sescunciam, cum cæteris eodem pertinentibus, inflationem quauis, id est, à flatu tensionem & tumorem eadem ratione iuuat. Mel calidum, id est, liquatum alij legunt pro colatum, ipsumq; largius addendum est, si sterco misces, quantū scilicet omnibus capiendis erit satis. In vsu est vbiq; sed vsu frequentius est electarium de baccis lauri, ex foliorum rutæ siccorum drach. decem: seminis ameos, cari, dauci, melanthij, cumini libyistici, baccarum lauri, piperis nigri & longi amygd. amararum, origani, acori, castorij ana drachmis duabus: opopanacis drach. tribus: sagapeni drachmis quatuor: quæ trita melle cocto ad pondus omnium excipiuntur. Diuersum ab his malagma Li. 9. c. ph. p. *Μελαγχολικόν*, id est, ex baccis lauri, nitro rubro, hammoniaco, cera, resina picea, pice brutia.*

**E**Mplastrum ventriculum & hepar calfaciens & roborās, recipit ligni aloës, absinthij, gummi Arabici, mastiches, cyperi, costi, zingiberis ana vnciam semissem: calami aromatici, thuris, aloës ana drach. tres: caryophyllorum, macis, nucis, moschatæ, galliæ moschatae, cinnamomi, spicæ nardi, schœnu anthūs, ana drach. vnam & semissem: excipe miua aromatica, & tempore vtendi cū panno intenderis, suffies ligno aloës.

*In vsu crebro non est: tamē fuerit efficacissimum in ventriculi & hepatis intemperie frigida, aëre præsertim frigido.*



gido. Nam calidis natura & aestate est nocētissimum: Alij eius loco vtuntur cerato stomachico prius descripto: alij aliā nescio quam sequuntur descriptionem.

**E**Mplastrum de gallia, ventrem totum inferiorem roborat adstringendo & calfaciendo: quare lenterias, diarrhoeas, dysenterias iuuat à causa frigida productas.

Recipit autem galliæ moschatae, schœnu anthūs ana drach. vnam & semis: ramich, rhois, acaciæ, hypocysthidos, ladani, gallarum non perforatarum, calami aromatici, rosarum & feminis earum, santalorum alborum & rubrorum, mastiches, 10 xylaloës, caryophyllorum, spicæ nardi, thuris, costi, myrrhae, cyperi, absinthij, ana drachmas duas: terantur accuratè omnia: deinde panis biscocti drachmæ tres: dactyli ficci duodecim: viginquatuor horis macerentur in succi foliorum myrti & lauri, & aquæ rosarum, & vini austeri, ana vncia vna & dimidia. Hæc læuiga, & excipe miuæ aromatizatæ vnciis tribus vel quatuor, & additis gummis Arabici affati drachm. septem coquantur igni lento ad mellis crassitudinem. Quibus in mortario diu permisce puluerem prædictum, donec totum fiat viscosum: tempore vtendi suffitur ligno aloës panno illitum. 20

Rarum vsu præter quàm in Gallia, vbi repertum quibusdam videtur, & inde vocatum: alijs autem à trochiscis galliæ moschatae quos recipit. Ramich compositio quadam est in trochiscos reducta. Si succum foliorum menthae pro myrti, vt quidam codices habent, misceas, calidius non multò minus adstringens medicamentum euadet. Læuigare autē, vt Græci *δαίβεσ*, est sicca in puluerem tenuissimum: humida autem curiosè terere & frangere: qualia hîc malè interpretare terere iubet tanquàm in puluerem. Nam in puluerem abire non possunt, nisi siccata, aut largæ siccorum copiae per- 30 mista.

**E**Mplastrum alterum de gallia ad affectus eosdem, sed à causa calida profectos: recipit galliæ, ramich, foliorum & feminis rosarum, rhois, santali albi & rubri, spodij, sanguinis draconis, electri, balauftij, capitum granatorum, hypocysthidos, acaciæ, corticum mandragoræ, ana drach. duas: caphuræ dra



drachmæ semiffem: tere omnia tenuiter: ad hæc polentæ, bac-  
 carum myrti, gummi Arabici affati, tenuiffimè tritorum, ana  
 vnc. dimidiam: macera in succi viuarum agreftium vnc. vna:  
 succi capreolorum, vitis agreftis vnc. duabus: succi extrema-  
 tum myrti & aceti, ana † vnc. quatuor: quibus adde miuæ aci-  
 dæ vnc. duas vel tres, & coque igni lento ad glutinosam cras-  
 fitiem. Tunc pulueres prædictos his diligenter misce. Ex hoc  
 portio alutæ illita tempore vtendi suffiatur xylaloë.

\* Alij vnc.  
vna.

*Rariffimum hic vfu est, quòd opinor in his regionibus  
 20 frigidis & victu non modo largiore, sed etiam ob cæli in-  
 clementiam crudiore vtentibus, venter, intemperie frigi-  
 da ferè laboret, haud temerè calida: qua ratione & hyeme  
 pituitam in nobis augeri ex Hippocratis placito demon-  
 strat Galenus lib. de natura humana: etiam si ventres vt  
 hyeme, sic in regione frigida sint calido innato calidiffimi.*

*Tamen ob componendi magnam difficultatem ad artis  
 sua specimen candidatis: per sepe ipsum archipharmaci im-  
 perant.*

**E**Mplastrum relatum ad Andromachum, podagram, go-  
 20 naagram, ischiadem, & reliquos articulorum dolores anti-  
 quos, ac eorum tumores & laterum, scirrhumque splenis &  
 hydropem iuuat. Recipit autem sepi arietum, picis, ana drach.  
 octodecim: gummi pini vnc. octo: sandaracha, auripigmenti,  
 aluminis scissilis, calcis viuæ, ana drachmas tres: hammoniæ  
 vnc. duas hammoniæ super ignem dissoluatur vino rubro,  
 eiq; adde olei libras duas, & reliqua probè puluerata.

*Auic. 5. can. idem describitur. Auripigmentum ru-  
 brum est sandaracha Dioscorid. & Gale. rarum. Citrinum  
 Verò speciatim auripigmentum seu arsenicum naturale, nò  
 30 factitium. Arsenicum album addit Auic. in doloribus à  
 lue Hispanica est efficax.*

**E**Mplastrum alterum Andromachi causticū, recipit aquæ  
 ardentis (quæ est aqua saponis) libras quatuor: seminis  
 orixæ & frumenti excorticati ana vnc. septem: macera in vase  
 vitreo



vitreo bene obstrueto, donec granis dissolutis totū fiat mucosum: serua, sed diebus singulis ligneo baculo moue, & obtura: exceptum cortice auellanae vel arundinis, vel sera pertusa, & parti admotum tribus horis, aut eo plus cauterij vice vlcerat, & vrit.

*In causticorum vsu partis natura diligenter expendenda est, ne alius aut latius quam opus est, vis cauterij recepta vel effusa, illesas partes aut sensu exquisito praeclatas, aut vasa magna attingat. Expende item praeter cauterij vires, etiam carnis habitudinem. Nam dura, densa, sensu 10 obtuso praeclata, qualis ferè fossoribus, nautis, agricolis, baiuulis inest, valentior ferre potest: contraria etiam mitioribus valde offenditur in corporibus delicatis, candidis mollibus: qualia puerorum, spadonum, mulierum, & quorundā virorum. Medicamenta verò caustica quae solida sunt, vt ex calce viua & faece vini vsta, vt agunt tardius, tamen agunt diutius, si longa actione est opus: & minus promptè diffluunt. Aqua ardens hodie fit alumine, sale petrae chalciti destillatis, vt ars chymistarum docet: alij alia miscent.*

*Triticum & oriza putredine acrimoniam acquirunt, 20 seu essentiae tenuitatem, sed cum sint mitiora, aquae ardentis vehementiam non nihil obtundunt. Haec enim si legitima est, etiam laminas tenues auri, argenti, & aliorum metallorum paucis diebus in calcem deurendo dissoluit.*

**E**Mplastrum sinapinum Democriti ad podagram, gonagram, ischiadem, ipsamq; arthritidem, ostocopon, hemi-craniam obliuionē, lethargū, si à causa frigida proficiscuntur: sinapi cum aceto tritum diu miscendū cum aequali portione pinguiū ficuū aqua calente horis vigintiquatuor maceratarū, & ita expressarum, vt nihil in his humoris sit reliquum. Si va- 30 lentiū vis, duplum sinapi misceto, si imbecillius, etiam triplū ficuum. Admotum parti tollatur, priusquam vlceret: nisi etiā vlcerandi est necessitas, vt materia profundior foras trahatur, & vacuetur. Penuria sinapis, sterco caprinum pridie aceto maceratum (quod etiam ad hydropem, & splenis duritiem & dolo



dolorem est efficax.) Adduntur interdum stercus columborum agrestium, enulæ radix, semen nasturtij, baccaë lauri. Tuncq; non soli hydropi & tumori splenis confert: sed etiam reliquorum viscerum affectibus frigidis & flatulentis.

Efficax fuerit hic sinapisimus, &  $\phi\omicron\iota\nu\iota\tau\mu\omicron\varsigma$ , id est, rubrificatio in affectibus pituitosis & profundis, ut ischiade, iam tamen declinante. Cum enim potenter attrahant, non modo ex parte, sed ad partem periculosa sunt hæc remedia in corpore plethorico aut cacochymo, ante exquisitam vacuationem. Eiusmodi remediorum per sinapi, thapsiam, vel eius loco semen nasturtij in vetustis & frigidis, & profundis, & contumacibus affectibus, frequens est usus apud Galenum in meth. & lib. comp. ph. p. Stercore columborum agrestium etiã in ventris affectibus longis crebrò se usum ait Aëtius. Efficax idem est paralyti, lethargicis & soporosis affectibus, epilepsia, vertigini, mania, capiti ad motum: asthmatis, orthopnææ, tussi antiquæ, catarrho antiquo, thoraci. Valentiùs multò vlcera sinapi tritum, & per se admotum, ut Galen. docet lib. 3. temper. quàm aceto fractum & obtusum. Ablato autem sinapismo, partem abluere: si dolet multum ob ampullas, cremorem, vel succum mal. vel fœnigraci ex linteo impone, superdato splenio ex cerato rosaceo cum cerusa. In paralyticis autem quia non sentiunt, crebrò pars tergendæ, & obseruandum sinapismi effectum, ne plus quàm oporteat, in partem agat.

**E**Mplastrum ex fermento descriptum à Democrito. Fermentum est multorum emplastrorum, & aliorum insignium remediorum materia: idq; quo est vetustius, eo præstantius. Fermenti & mellis portio æqualis: visci querni pars sexta: hammoniæ in aqua fœnigraci aut lacte arboris mori, & pauca fæce olei veteris dissoluti pars octaua miscetur: fitq; emplastrum spinas & surculos extrahens, ac etiam ossa fracti cranij, meningibus infixæ etiam profundius. Vel fermenti pars vna: succi menthæ & absinthij ana pars dimidia: aceti, aut



succi vuarum agrestium, aut extremitatū vitis, aut cydoniorū  
 pars quarta: macis, caryophyllorum, ligni aloës, mastiches, spi-  
 cæ foliorum rosarum, absinthij sicci pars octaua drachmæ  
 vnius: misce, igni coque in emplastrum, quod ventriculum &  
 3 hepar admotum apertè iuuat. Vel fermenti adhuc acidi  
 pars vna: succi intybi, aut solani, aut vuarum agrestium, aut  
 cacuminum vitis, & aceti ana pars dimidia: farinae hordei pars  
 tertia: trium santalorum, foliorum rosarum, spodij, faufel, id  
 est, auellane Indice, trochisci diaglauciu, boli Armeni ana pars  
 sexta: succi portulacæ, & muccaginis psyllij quantum ad com- 10  
 prehendenda hæc sufficit. Emplastrum id hepatis & aliorum  
 4 viscerum phlegmonas mirè compescit. Vel fermenti, mel-  
 lis, olei, lactis muliebris, vitelli ouorum pares portiones: coquit  
 & maturat phlegmonas, abscessusque rumpit his. Si bdelliū  
 & hordei farina miscetur, spinas extrahit: idque valentiū, si his  
 dissoluta galbani pars dimidia iungatur. Valentiū item fa-  
 cit nitri naturalis sexta pars, stercoreis columbini & gallinacii  
 5 ana pars quarta. Vel fermentum ex aceto & sale coctum, he-  
 patis & lienis affectibus multis est saluberrimum. Nam fi-  
 cuum hammoniacy, bdellij portio æqualis, fermenti præsertim 20  
 aceto dissoluti pars dimidia: foliorum rutæ & fructus tamar-  
 ricis, & nitri ana pars quarta, simul bene mista, lienis tumore  
 admota mirè dissipant. Quod si excrementa viscerum siccan-  
 da sunt, fermentum sulphur, sal, cinis, sarmentorum vitis mi-  
 sta & admota id præstabunt: idque valentiū, asphalto addito:  
 valentissimè autem euphorbio. Hæc Democritus, & præterea  
 non pauca de facultate fermenti veteribus expertissima: quæ  
 omnia narrare prolixum fuerit.

*Horum effectorum partem plurimam fermentum per  
 se efficit, vt etiam spicula ex ossibus euellat: Valentiū au- 30  
 tem hæc præstat, mistis his quæ vel calorem eius remit-  
 tunt, vel intendunt, aliisque facultates. Ad rumpendos autè  
 abscessus, id est, phlegmonas suppuratas: vel etiā abscessuū  
 genus alterū in his, qui ferrū metuunt, aut quibus ferrū nō  
 est tutū, ob nervos aut vasa insignia propinqua: vel isto vti  
 potes, vel eo quod Paulus scribit ex fermento, a xugia, sale,  
 resina, pice, cera, aphronitro, hamoniaco, melle, sapone.*



**E**Mplastrum filij Zachariae, iuncturarum tophos ac nodos duros mollit, dissoluit, & crassa lentaq; pulmonis & thoracis excrementa expectorare magis habilia reddit. Recipit cerae flauae, medullae cruris vaccae, adipis anatis & gallinae, mucaginis seminis lini pares portiones: olei lini q. sufficit: valentiùs facit addita mucago althaeae & fœnigræci pari portione, & oleum leucioij lutei loco olei lini, vel cum eo. Efficacius quoque reddes, si œsypum & ichthyocollae mucaginem addideris.

10 *Id emplastrum ad scirrhus omnes partium omnium emolliendos mirabile, si omnia hæc acceperit. Nam prius est imbecillius, præsertim si multa est durities, & corpus durum ac densum.*

**E**Mplastrum diaphœnicon ventriculum & hepar firmat: Empla. diaph. cali-  
 20 **E**ob id lienteriam & dysenteriam hepaticam adiuuat. Dactyli ficci quadraginta, panis biscocti drachmæ quinque; biduo macerentur vino odoro: post cum dactylis tere permultum carnis cydoniorum in vino coctorum vnc. vnam: deinde misce ceratum ex cerae vnc. duabus, & olei rosati & nardini, ana vnc. quatuor factum: tundendq; in mortario permisce. Postremò mastiches, thuris, absinthij Romani ficci, ana drac. duæ, & semis, aloës, ligni aloës, macis, calami aromatici, spicæ nardi, myrrhæ, acaciæ, galliæ, ramich, ana drach. vna: ladanij drach. duæ, tundendo iterum perfectè misceantur. Utendi tēpore suffiatur, xylaloë, priusquam parti admoueat. Satius autē fuerit mastichen & ladanum ceræ & olei prius miscere: postea ut dictum est, emplastrum facere.

30 *Thomas de Garbo cydonia in vino austero infra modum cocta miscet, & gallam quercus, non gallia. n. Si autem seruatum duruerit, molliendum oleo de spica, vel mastichino, vel cydoniorum, pro morbi natura. Εμπλαστον φάριμακον δὲ Li. I. c. ph. g. χαλκίτεως Galeni, ab his maximè diuersum est, ut diximus in vnguentis.*

**E**Mplastrum diaphœnicon Alexandri, ventrem totum inferiorē, ne aliarum partium recrementa suscipiat, roborat, coctionem iuuat: ob hæc vomitum, cholera morbum, lienteriam, dysenteriam hepaticam iuuat: recipit dactylorum maturitati propinquorum vnc. quinque; panis biscocti vnciam

Emplastrum  
diaph. fri-  
gidum.



vnam, carnis cydoniorum in vino austero coctorum vnc. vnā & dimidiam; styracis, mastiches, ladani ana semuncia: acaciae, omphacij, florum labruscae, rosarum, santalorū, citreorū myrrhæ: xylaloës, ramich, ana semunciam: ceræ vnc. quatuor: olei ros. vnc. quindecim: vini austeri. q. f. ad infundendū infundenda. Suffi xylaloë vtendi tempore.

*Emplastrum hoc & sequens in Alexandro Tralliano nō lego, sed lib. quarto in podagra emplastrum phœnicinū ex palmularum vncijs decem coquendo dissolutis in olei vncijs octo æstate: hyeme vndecim.*

**E**Mplastrum Alexandri ex alliis, ventriculi & reliquorum viscerum affectus à flatu aut pituita cruda, crassa, & lenta natos, abscessūmq; ventriculi & hydropem incipientem iuuat: accipit spicarū allij mundatarum vnc. tres & dimid. styracis, bdellij, aloës ana vnc. tres: terebinthinæ vnc. quatuor: axungia porcinae recentis, adipis anseris ana vnc. quinq;: mastiches, thuris, ana drach. vnam & dimid. euphorbij vnc. vnam & dimid. croci vnc. dimid. ceræ flauæ vnc. duodecim: ol. nardini & vini odoriferi, quantum sufficit.

*Emollit, ac discutit, estq; anodynū: coctionem adiuuat, roborat partes præsertim frigida intemperie laborantes.*

**E**Mpl. Aristarchi, ventriculi & aliorum viscerum intemperiem frigidam, flatum, humorem frigidum & inde natos affectus hydropem, inflationem, laterum tensionem dolorificam, corrigit. Recipit ceræ flauæ vnc. vnā: terebinthinæ vnc. sex: axungia porcinae recentis, adipis anseris, medullæ cruris vaccæ, ana vnc. quatuor: bdellij, myrrhæ, thuris, styracis, opopanax, aloës, mastiches, ana vnc. vnam & dimid. ammoniaci vnc. tres: colophonæ vnc. septem: aluminis vnc. vnam: spicæ nardi, drach. sex: folij calami aromatici, euphorbij, baccarum lauri, ana drach. septem: olei balsami lib. vnam: ole. nardini & vini odori. q. f.

*Interpres Mesua multis in vsu id affirmat, cocta scilicet iam materia, & magna ex parte vacuata, Mediolanensibus scilicet. Nam Ticini quæ vrbs est vicina, vsu est rarius. Hic prorsus inusitatum est, quanquam sit ad molliendum & digerendum quàm præcedens Valentius.*

Empl



**E**Mplastrum Oribasij ad tumores etiam duros hepatis, lie-  
nis, chœradas: recipit lithargyri vnc. dimid. ceræ vnc. vnā:  
resinæ vnc. quinq; hammoniacy vnc. tres: ladani vnc. duas: ari-  
stolochiæ, thuris, galbani, cassuthæ, ana vnc. vnā & dimidiā  
aloës vnc. vnā: olei antiqui, & aceti scyllitici q. f.

*Oribasij esse non videtur, quòd eius tempore cassuthæ  
vox fuerit ignorata: aut error subest.*

**E**Mpla. alterum Oribasij idem pollēs, recipit hammonia-  
ci in aceto scyllino duos dies macerati vnc. duas: læuiga  
10 per se: postea, tere cum cerato ex ceræ flauæ vnc. duabus olei  
chamæmelini & irini, ana vnc. quatuor, croci drach. quinque.  
Si pro aceto scyllite succum apij habeat, spinæ ex linteolo im-  
positum, rigori febrili confert.

*Quia hic succus digerit potentiùs, acetum, scyll. magis  
incidit, tenuat, mollit, vtrunq; in vsu esse desyt.*

**E**Mplastr. de meliloto, mollit duritiem omnem ventriculi,  
hepatis, lienis, viscerum, & reliquorum. Recipit meliloti  
vnc. sex: florum chamæmeli, comæ absinthij, sampsuchi, fœ-  
nigræci, baccarum lauri, rad. althææ, ana drach. tres: sem. apij,  
20 atneos, cardamomi, ireos, cyperi, spicæ nardi, casia, ana sesqui  
drach. hammoniacy drach. decem: styracis, bdellij, ana drach.  
quinq; terebinthinæ vnc. vnā & dimid. ficus pingues duo.  
decim: sēpi caprini, resinæ ana vnc. duas & dimi. ceræ vnc. sex: *Anisum quòd  
dā addunt.*  
olei sampsuchini, & olei de spica q. f. aquæ, cui incocta sunt fœ-  
numgræcum, chamæmelum, melilotus, quanta erit satis ex-  
quisita aliorum infusioni.

*Clementius emollit & resoluit flatum, & alias mate-  
rias ex ventriculo, hypochondrijs, & partibus alijs, quàm  
emp. Aristarchi: ob id est ab eo incipiendum, siue lenire do-  
30 lorem, siue tensum laxare, siue plenius discutere tibi est pro-  
positum. id vbiq; vsu est frequentiss. Diuersum ab hoc ma-  
lagma Asclepiadis est δὴ μιλώτορ apud Gal. Nardi Gal Lib. 8. c. ph.  
lica, cyperi, myrrha, ana drach. decem: atneos, cardamomi, p. & 6. vi.  
croci, terebinthinæ ana drach. octo: meliloti, hammoniacy, de locum.  
ana drac. 40. cypheos sacrați drach. sexdecim: ceræ mina  
vna: vini odoriferi hemina vna, ad stomachicos hepaticos*



viscerum dolores. Aliud Andromachi δὲ μελιλόξου ibi-  
dem paulo post. Huic simile habet Paulus, sed hammoniaco  
& aceto caret, pōderibusq; variat. Vera melilotus deside-  
ratur Munardo. Radicis albæ substantia miscetur, non  
muccago. Ficus teruntur cum decoctione ista, & colantur.  
Bdellium & hammonicum, ut styrax, possunt puluerari, vel  
decoctionis istius vnc. duabus dissolui, colari, coqui ad aquæ  
cōsumptionē. Huic decocto formatas iam offas parūper im-  
mittere solent. Olei vnc. dimi. sufficit ad cōprehendēda, sed  
durius mox & friabile euadit. Vidi factū cum duabus olei 10  
vncijs molliculum & tenerum, sed adhuc fragile. Vidi etiā  
ex vncijs sex admodum flexile, & ductile. Si primum se-  
quaris modum, vtendi tempore oleo est molliendum. Omnes  
tamen modi pro varijs scopis sunt optimi, vt Gal.

**M**istura vulnera sanans, recipit caryophyllatæ, radicū  
artemisiæ, pimpinellæ, chamæmeli, pentaphylli, folio-  
rum violæ nigræ, herbæ venti, caulis rubri, cannabis, summi-  
tatum rubi. ana manip. vnum: rubiæ, pōdus horum omnium:  
coque omnia vino ad dimidij consumptionem cola, cum mel  
lis tertia parte recoque: rursus cola & serua. 20

Hanc misturam vetusti Mesuæ codices nō habent, vt  
nec quæ sequuntur tria vnguentā, duo palmea, & tertium  
ad scabiem. Neque emplastrum est, sed potio, cuius exemplo  
aliæ coquuntur, quæ vulnera recentia & etiam pessima ad  
desperata vlcera solæ sanant. Caryophyllata nostra, esse vi-  
detur leucoinum veterum. Cotyledon herba venti vulgò  
dicitur: alijs legitur herba vitri, id est, parietaria. Bras-  
sica rubra commendatur in id, vel lege caulis rubri, vt bras-  
sica & rubus intelligantur.

FINIS TERTII LIBRI  
IOANNIS MESVAE DE  
ANTIDOTIS.

\*

INT